



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 90118286

§. 1. Schismatis exordia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

tinus sacram Sedem bello prementes, cædibus ac rapinis fœde funestata ingemuerat. Gregorius gravibus adeo rationibus, præcipue vero validis, ac assiduis S. Catharinæ Senensis precibus devictus, tandem sacram Sedem Urbi Romanæ restituere decrevit, spreto amicorum suorum, & plurimorum Cardinalium consilio, qui schisma ex hac translatione facile enasciturum, & mala ac tumultus Ecclesiæ post mortem ejus imminentes præfagiebant.

§. I.

Schismatis Exordia.

Porro Vaticinium istud probavit etiam eventus. Cardinales enim, Gregorio Anno MCCCLXXVIII. decedente, de successore eligendo deliberant. Sexdecim eorum Romæ morabantur, quos inter quatuor duntaxat erant Itali, ceteri omnes Galli, solum si excipias Petrum de Luna Arragonensem. Igitur Galli suæ nationis Papam eligere meditantur,

tantur, sed Romani haud abs re pertimescentes, ne sub Pontifice Gallo denuo sacra Sedes in Franciam migraret, armata manu, minisque acerbissimis Cardinalium Collegium, ut Italum eligerent, adigunt, necnon conclave cingunt, continuo vociferantes: *Romano lo volemo lo Papa*, id est, Romanum creari Pontificem petimus, mortemque comminantur, si secus fecerint.

§. II.

Tumultuaria Urbani VI. Electio.

Eligunt ergo non quidem absque populari tumultu, ac metu (*) Bartholomæum de Prignano Archiepiscopum Parensem Neapoli oriundum. Postquam vero rumor per urbem increbuit, Archiepiscopum Parensem fuisse electum, populus similitu-

(*) Urbani VI. electionem vindicarunt Odo-ricus Rainaldus ad annum 1378 & apud eundem Baldus de Perusio, & Joannes de Eignano in *Gallia Vindic.* Diff. 3. §. 4. & plures alii.